

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## C. Cornelii Taciti Opera Qvæ Exstant

Tacitus, Cornelius

Antverpiae, 1668

Liber V

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1742](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1742)

A

C. CORNELII TACITI  
AB EXCESSV NERONIS  
HISTORiar. LIBER V.  
BREVIARIVM LIBRI.

**T**ITI in Iudeos urbemque sacram expeditio. Eâ occasione, de Gentis origine, moribus, religione, urbisque ipsius opere & situ, accuratius & uberius dictum. Germanici belli progressus. praelia aliquot inter Ciuilem & Cerialem. quæ denique pax (ita apparet ex fine admutilati libri) excepit.

Cap. 1.  
Titus in Iudeam rem gessit.

Quibus copiis?

Hierosolyma aâsides.

Cap. 2.  
De Iudeorum ortu: Varia & vana.

\* Glossema est: & abest à Vat.



**T**IVSDEM anni principio, Cæsar Titus perdomandæ Iudææ dilectus à patre, & priuatis vtriusque rebus militiâ clarus, maiorem vi famaqué agebat, certantibus prouinciarum & exercituum studiis. atque ipse, ut superior sui iam crederetur, decorum se promptumque in armis ostendebat, comitare & alloquiis officia prouocans: ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore. Tres cum in Iudæâ legiones, quinta, & decima, & quintadecima, vetus Vespasiani miles, excepere. Tradidit & Syria duodecimam, & adductos Alexandriâ duodeuicesimanos tertianosque. Comitabantur viginti sociæ cohortes, octo equitum alæ: Simul Agrippa Sohemusque reges, & auxilia regis Antiochi, validaque & solito inter accolos odio infensa Iudæis Arabum manus. Multi, quos vrbe atque Italiâ sua quemque spes acciuerat, occupandi Principem adhuc vacuum. His cum copiis fines hostium ingressus, composito agmine, cuncta explorans, paratusque decernere, haut procul Hierosolymis castra facit. Sed quia famosæ vrbis supremum diem tradituri sumus, congruens videtur primordia eius aperire. Iudæos Cretâ insulâ profugos, nouissima Libyæ insedissememorant, quâ tempestate Saturnus vi Iouis pulsus cesserit regnis. Argumentum è nomine petitur. Inclytum in Cretâ, Idam montem. accolos, Idæos, aucto in Barbarum cognomento, Iudæos vocitari [\* quasi Idæos.] quidam regnante Iside, exundantem per Ægyptum multitudinem, ducibus Hierosolymo ac Iudæâ, proximas in terras exoneratam. Plerique Æthiopum prolem, quos rege Cepheo, metus atque odium mutare sedes perpulerit. Sunt qui tradant, Assyrios conuenas, indigum agrorum populum, parte Ægypti

NOTÆ.

1. **P**RIVATIS VTRIVSQUE.] Probam lectionem censeam & sententiam, absque libris sit: qui consensu omnes, preliatis vtriusque. aut, preliatis. Ego quamquam intentus, nihil elicio.

2. **V**T SUPERIOR SVI IAM.] Hic quoque me locus diu torsit, per singulos apices & ductus scripturæ veteris euntem. Sed exclamare tandem cum Philosopho possum, εὐπραξία. Budensis

codex habuit, Superior vnam crederetur. Vatic. superiori vnam. Ex quo, vix duabus litteris leuiter mutantibus, facio: ipse ut super fortunam, eleganti sententiâ. Titus, inquit, iam tum priuatus clarus bello: nunc multo promptior, ut parem vel superiorem se patius fortunâ hæc Imperatoriâ ostenderet. Rhenanus diuinabat: ut superiori viâ ingrederetur. Farnes. autem cod. & Rom. abeunt ab hoc scripto longius, ut superior omnibus crederetur.

A Ægypti potitos, ac mox proprias vrbes Hebræasque terras, & propiora Syriæ coluisse. Clara alij Iudæorum initia: Solymos <sup>3</sup> carminibus Homeri celebratam gentem, condita vrbi Hierosolymam nomen è suo fecisse. Plurimi auctores consentiunt, <sup>4</sup> ortâ per Cap. 3. Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, <sup>5</sup> regem Occhorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum vt inuisum deis, alias in terras auertere iussim. Sic conquistum collectumque vulgus, <sup>6</sup> postquam vastis locis relictum sit; ceteris per lacrymas torpentibus, Mosen vnum exsulum monuisse, ne quam Moses. deorum hominumve opem expectarent, ab vtrisque deserti, sed sibimet vt duci cælesti crederent, <sup>7</sup> primo cuius auxilio credentes, præsentis miserias pepulissent. Assensere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æquè, quàm inopia aquæ fatigabat. Iamque haut procul exitio, totis campis procubuerant: cum grex asinorum agrestium, è pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moses, coniectura herbi di Aquis inopia foli, largas aquarum venas aperit. Id leuamen. & continuum sex dierum iter emens, Cap. 4. B septimo pulsus cultoribus, obtinere terras in quibus vrbs & templum dicata sunt. Mo Relig. g. 2. 116. ses, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra. Rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta. <sup>8</sup> Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrati sacrauere: cæso ariete, velut in contumeliam Hammonis. Bos quoque immolatur, quem Ægyptij Apin colunt. Sue abstinent, memoriâ cladis, quod ipsos scabies quondam turpauerat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem, crebris adhuc ieiuniis fatentur. Et raptarum frugum argumentum, panis Iudaicus nullo fermento detinetur. Septimo die, otium placuisse ferunt: quia is finem laborum tulerit. dein Sabbathi quies. blandiente inertia, septimum quoque annum ignauia datum. Alij honorem eum Saturno haberi: seu principia religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulsos, & conditores gentis accepimus: seu quod è septem sideribus, quibus mortales reguntur, altissimo orbe & præcipua potentia stella Saturni feratur: ac pleraque cælestium, vim suam & cursum septimos <sup>9</sup> per numeros conficiant. Hi ritus quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur. cetera instituta sinistra, fœda, prauitate valere. Nam pessimus Cap. 5. quisque, spretis religionibus patriis, tributa & <sup>10</sup> stipes illuc congeriebant. Vnde aucta Stipes in templum. Iudæo-

3. CARMINIBVS HOMERI.] *Locus Homeri notus: sententia tantum valde ambigua inter natantes Scholiastas. Sunt qui designari Lycios aut finitimos quosdam velint: quod Strabo, & Eustathius, & Pindari interpret inclinant. sunt qui Pisidas: quod Plinius & Stephanus. sunt qui Iudeos: quod noster hic suggerit, & Tzetzes. Eusebius etiam Cherili Poeta testimonio, Hebræos Solymos olim dictos censet euinci. Nec Q. Calaber sanè aliter apud Homerum accepit: ideoque — Σολύμων ἰεῖον ἔειπεν dixit: sacri epitheto sacram indicans gentem.*

D 4. ORTA PER ÆGYPTVM TABE.] *Vitiliginem appellat Iustinus, uti optimè restituit optimus & doctissimus Bongarsius.*

5. REGEM OCCHORIM.] *Ita libri vett. quos sum secutus, non, Bocchorim. etsi vulgate huic scripturae adsertor Iustinus venit Δόξα Ὀκκωρημα. Nam ait: Τετάρτον δὲ φασὶ νομοθέτην γεγενῆσθαι Βόχχορον ἢ βασιλέα, σοφὸν τῶα καὶ πανουργία διαφειγῶτα. Etiam Orosius lib. 1. qui locum hunc totum transcribens, Bocchorim tamen appellat. Sed & Plutarchus ita nominat, libello περὶ δυσωπίας. Itaque iure vacillo. Nam Clemens Strom. 1. nimis diuersus à nobis abit, qui Omosim hunc, vel Amasim appellat. At quod ad rem ipsam, falsa est, & refellunt libri sacri. Tamen sumpsit hæc à Lysimacho, uti videre potes apud Iosephum contra Apionem,*

libro 1. extremo. ubi item scriptum, Bocchoris.

6. POSTQVAM VASTIS LOCIS.] *Mirum non addere eum quibus in locis. Ac sanè ex Tertulliano legend. videatur, vastis Arabiae locis. Is enim Apologetico narrat Cornelium Tacitum scripsisse in v. Historiar. Iudæos Ægypto expeditos siue extorres in vastis Arabiae locis aquarum egenos, &c. Orosio tamen non aliter lectum, quàm nostri libri præferunt.*

7. PRIMO CVIVS AVXILIO.] *Citat etiam ita Orosius. ambigo tamen & contor, an non vox, credentes, eicienda sit. Et iam video abesse in Othonis Frisingensis lib. 1. cap. XVIII. ubi hæc citat.*

8. EFFIGIEM ANIMALIS.] *Hoc de capite asini magno consensu omnes veteres tradiderunt: ne tanto perè noster culpetur, tamquam mendaciorum plenissimus scriptor. Et sanè Strabo, Plutarchus, Democritus apud Suidam multo maiora deliria delirarunt contra gentem & libros sacros.*

9. PER NVMEROS CONFICIANT.] *Vera lectio, quam è Vatic. promsi referente: per numeros conficiant. ex quo ego conficiant. Aliter vulgati. De re autem ipsa Dionem vide XXXVII. & in primis Alexandrinum Clementem Strom. VI.*

10. STIPES ILLVC CONGERIEBANT.] *Cicero pro Flacco: Cum aurum, Iudæorum nomine, quot-*

Iudæorum res : & quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed aduersus A  
omnes alios hostile odium. Separati epulis, discreti cubilibus, proiectissima ad libidi-  
nem gens, alienarum concubitu abstinent. inter se nihil illicitum. Circumcidere genita-  
lia instituerunt; vt diuersitate noscantur. Transgressi in morem eorum, idem usurpant.  
nec quidquam prius imbuuntur, quàm contemnere deos, <sup>11</sup> exuere patriam : parentes,  
liberos, fratres, vilia habere. Augendæ tamen multitudini consulitur. Nam & <sup>12</sup> neca-  
re quemquam ex agnatis, nefas : animalisque prælio aut suppliciis peremptorum, æter-  
nas putant. Hinc generandi amor, & moriendi contemptus. Corpora condere, quàm  
cremare, è more Ægyptio. Eademque cura, & de infernis persuasio. cælestium contra.  
Ægyptij pleraque animalia effigiesque compositas venerantur. <sup>13</sup> Iudæi mente solâ, v-  
numque numen intelligunt. Profanos qui deum imagines, mortalibus materiis, in spe-  
cies hominum effingant. Summum illud & æternum, neque mutabile, neque interitu-  
rum. Igitur nulla simulacra vrbibus suis, nedum templis sunt. Non regibus hæc adula-  
tio, non Cæsaribus honor. Sed quia sacerdotes eorum tibiâ tympanisque concinebant, B  
hederâ vinciebantur, vitisque aurea templo reperta : Liberum patrem coli, domitorem  
Orientis, quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis. quippe Liber fe-  
stos lætosque ritus posuit : Iudæorum mos absurdus sordidusque. Terra finesque, quâ  
ad Orientem vergunt, Arabiâ terminantur : à Meridie, Ægyptus obiacet : ab Ocasu,  
Phœnices & mare : Septentrionem à latere Syriæ longè prospectant. Corpora homi-  
num salubria, & ferentia laborum. rari imbres, vber solum. <sup>14</sup> Exuberant fruges no-  
strum ad morem. præterque eas, <sup>15</sup> Balsamum : & Palmæ. palmetis proceritas, & dec-  
or. Balsamum, modica arbor. vt quisque ramus intumuit, si vim ferri <sup>16</sup> adhibeas, pa-  
uent venæ : fragmine lapidis, aut testâ aperiuntur. humor in vsu medentium est. Præ-  
cipuum

Circumcisio.

Animorum  
acerbitas.Imaginum  
despectio.Quidam Li-  
berum iis  
deum dant.Cap. 6.  
Iudæa fines  
& situs.Vbertas, &  
fruges.  
Balsamum.

quotannis ex Italiâ & ex omnibus prouinciis Hierosolymam exportari soleret, Flaccus sanxit edi-  
cto, ne ex Asiâ exportari liceret. Philo de Legatione  
ad Caium : Καθ' ἑκαστον ἐνιαυτον ἱεροπομποὶ ἐέλονται χρυσὸν καὶ ἀργυρὸν πλείστον κομίζοντες εἰς τὸ ἱερόν, ἢ ἀθεοδύνατα ἐν τῷ ἀπαρχῶν. Et paullo antè : Ἡπίστατό (Τιβέριος) καὶ χρήματα σωμαγαγόντας ὄπῳ τῷ ἀπαρχῶν ἱερά, καὶ πένοντας εἰς Ἱεροσόλυμα διὰ τῆς τὰς θυσιῶν ἀναζήτων. Sed & Iosephus notat, immensam vim auri congestam in templum ab omni Asiâ & Europâ : lib. XIV. Antiquit. cap. XII. Nos plura in Magnitudine Hebræâ.

II. EXVERE PATRIAM. ] Rom. cod. exire.

\* Malè e-  
nim, numen

12. NECARE QUEMQUAM EX AGNATIS. ] Qui otiose legerit, nihil offendet : fortasse is, qui intente. Si enim de cade capis tantum, quid in eo noui? Sanè & Romanis & Barbaris plerisque necare consanguineos nefas. Sed alium ego hic sensum odoror, & scribo : necare quemquam ex gnatis. Scimus Græcis Latinisque, in promiscuo vsu fuisse abiectioes infantum & expositiones, imò neces. Id aliter in Iudæorum moribus, & gentem imprimis suboli studuisse, adeo vt nulliusmodi partum necare fas, notat vt nouum noster. Itaque quia de liberis, iure addit hinc generandi amor : quoniam matres scilicet certæ, prolem tollendam. Simile prorsus, quod de Germanis in libello De moribus : numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare nefas habetur. Nam & ibi scribo, gnatis.

13. IUDÆI MENTE SOLA, VNVMQUE NUMEN INTELLIGUNT. ] Benè & verè hæc Tacitus. Ideoque nec statue Iudæis, & ipsum templum sub dio & apertum. Dico, maius illud & Exterius templum : nam Interius clausum, vt mox dicet. Dio lib. XXXVII. Οὐδ' ἀγαλμα ἐδὲν ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἔχον ἄρρη-

τον δὲ δὴ καὶ αἰεὶ δὴ θεὸν νομίζοντες εἶναι, περιεσώτατα ἀνθρώπων θρησκείαισι. καὶ αὐτὸν νεῶν τε μέγιστον καὶ περιελαλλέστατον, πλὴν καθ' ὅσον ἀχανὲς τε καὶ ἀνώγειος ἦν, ἐξέπρασεν : Nullam statuam Hierosolymis habebant, & Deum ineffabilem quemdam & visui non obnoxium arbitantes, magnâ religione & super ceteros homines eum colunt. Cui & Templum MAXIMUM & PVLCHERRIMUM, nisi quod APERTUM & sine tecto vlllo est, construxerunt. Sunt hæc verissima, pro Iudæorum sano sensu. sed quem illi deprauarunt, & quia sub celo, & in illud adspicientes precabantur; rati sunt, celum ipsum ab iis adorari. Iuuenalis :

Nil præter nubes &amp; cæli \* lumen adorant.

Alius Satyricus :

Et cæli fummas aduocat auriculas.

quasi putarent celum aures habere, idque inuocarent.

14. EXVERANT FRUGES. ] Mihi verò vox ea ipsa exuberare videtur. legamque, vber solum : fruges nostrum ad morem.

15. BALSAMVM. ] Propriam eam arborem Iudæa esse plerique tradiderunt, nec alibi gigni. Iustinus libro XXXVI. Opes genti ex vectigalibus opobalsami creuere, quod in his tantum regionibus gignitur. Atque ita sanè tunc fuerit. Postea, non dubium stirpem eam in Ægyptum transisse; atque illic creuisse. Claudianus in Epithalamio Palladij :

Gemmatas alij per totum Balsama tectum

Effudere cadis. duro quæ faucius vngue

Niliacus pingui defudat vulnere cortex.

Perseuerare etiam illic nostro æuo, qui peregrinati sunt, affirmant.

16. ADHIBEAS, PAVENT VENÆ. ] Sic interpungenda ista : &amp; in Pauendi verbo elegans metapho-

Acipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidum-  
 que niuibus. Idem amnem Iordanem alit, funditque. Nec Iordanes pelago accipitur. *Iordanes  
 amnis.  
 Lacus A-  
 sphalites.*  
 Sed <sup>17</sup> vnum atque alterum lacum integer perfluit: tertio retinetur. Lacus immenso am-  
 bitu, specie maris, sapore corruptior, grauitate odoris accolis pestifer, neque vento  
 impellitur, neque pisces aut fuetas aquis volucres patitur. <sup>18</sup> Incertæ vndæ superiecta, vt  
 solido feruntur, periti imperitiq̄ nandi, perinde attolluntur. <sup>19</sup> Certo anni, bitumen *Bitumen in  
 eo.*  
 egerit: cuius legendi vs̄um vt ceteras artes, experientia docuit. Ater suapte naturâ li-  
 quor, & sparso aceto concretus, innatat. hunc manu captum, quibus ea cura, in summa  
 nauis trahunt. Inde nullo iuuante influit, oneratq̄, donec abscindas. nec abscin-  
 dere ære ferrôve possis: fugit cruorem vellemq̄ infectam sanguine, quo feminæ per  
 menses exsoluuntur. Sic veteres auctores. Sed gnari locorum tradunt, vndantes bitumi-  
 ne moles pelli, manuq̄ trahi ad litus: mox vbi vapore terræ, vi solis inaruerint, secu-  
 ribus cuneisq̄ vt trabes aut saxa discindi. Haut procul inde campi, quos ferunt olim *Cap. 7.  
 Campi exi-  
 sti.*  
 vberes, magnisq̄ vrbibus habitatos, <sup>20</sup> fulminum iactu arfisse: & manere vestigia, <sup>21</sup>  
 terramq̄ specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita,  
 aut manu sata, siue herbâ tenus aut flore, seu solitam in speciem adoleuere, atra &  
 inania velut in cinerem vanescunt. Ego sicut <sup>22</sup> Iudaicas quondam vrbes igne cælesti  
 flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eo-  
 que fetus segetum & autumnii putrescere reor, solo cæloq̄ iuxta graui. Et Belus an- *Be'us amnis.*  
 nis Iudaico mari illabitur: circa cuius os <sup>23</sup> conlectæ arenæ, admixto nitro, in vitrum  
 excoquuntur. modicum id litus, sed egerentibus inexhaustum. Magna pars Iudææ vi- *Cap. 8.  
 Hierosolyma  
 vrbis.  
 Ibi templum.*  
 cis dispergitur. habent & opida. Hierosolyma genti caput. Illic immensæ opulentia  
 templum, & <sup>24</sup> primis munimentis <sup>25</sup> vrbs deiugis, <sup>26</sup> templum intimis clausum. ad  
 fores tantum Iudæo aditus: limine, præter sacerdotes, arcebantur. Dum Assyrios penes  
 Medosq̄ & Persas Oriens fuit; despectissima pars feruentium. postquam Macedo-  
 nes præpotuere; rex Antiochus demere superstitionem, & mores Græcorum dare ad- *Antiochus  
 Iudæa infes-  
 tus.*  
 nixus,

*ra. Plinius de eadem arbore: Inciditur vitro, lapide, offeivve cultellis: ferro lædi vitalia odit. Et Iosephus, qui indigena: ὄξει λίθω, aut ὄξει λίθοις incidi adserit. Falsus ergo cum Theophrasto Dioscorides, qui ferreis unguibus secari arborem credidit: falsus compilator Isidorus, qui percussum ferreis unguibus corticem. Pausanias lib. IX. nescio quid de Balsamo Arabie nugatur, & circa eum viperis.*

*17. VNUM ATQVE ALTERVM LACVM.] Ita & Egesippus lib. III. Duos lacus victor egressus, tertio retinetur. At Pausanias repugnat clarè, & quidem oculatus, vt ait, testis, lib. V. Εἰ δὲ τῆ γῆ ποταμόν πνα Εβραίων καὶ αὐτὸς οἶδα Ἰόρδανον λίμνῳ Ἰβερὶ δα ὄνομα Ἰορδάνω διὸ δέοντα, ἐς δὲ τὴν λίμνῳ ἐτέρων καλεῖσθαι θάλασσαν νεκρῶν, ἐς ταυτὴν ἐτίοντα, καὶ δὴ τὸν λίμνης αὐτὸν ἀναλέμενον. id est: In Hebraeorum terrâ fluuium quemdam Iordanum & ipse noui, qui stagnum Tiberias subit, ac deinde alterum, cui Mare-mortuum nomen est, in quâ ipsâ palude consumitur. Sed Tacito nos iure fidem habemus. qui in Thraconitide lacum minorem esse scimus, quem primò Iordanis ingreditur, cui Samochonitis nomen.*

*18. INCERTÆ VNDÆ SUPERIECTA.] Emendatio è libris. Vulgò est, incertum vnde. quod sententiam etiam aptam recipere potest. Vide de totâ re Egesippum lib. IV. cap. XVIII.*

*19. CERTO ANNI.] Ita libri, & phrasîs nota, & Tacito frequens. vulgati vocem addunt, certo anni tempore.*

*20. FULMINVM IACTV.] Orosio lib. I. qui hæc*

*expresso etiam Cornelij nomine transcripsit; legas fulminum ictu.*

*21. TERRAMQVE SPECIE TORRIDAM.] In eodem Orosio, terramq̄ ipsam specie solidâ.*

*22. IUDAICAS QVONDAM VRBES.] Libri aliquor, inclitas vrbes. nec aliter Orosius.*

*23. CONLECTÆ ARENÆ, ADMIXTO NITRO.] Non, coniectæ. Farnesianus etiam rectè, lectæ arenæ. Plinium ad lib. XXXVI. Strabonem XVI.*

*24. PRIMIS MVNIMENTIS VRBS.] Ex Iosepho & Zonara legam, & trinis munimentis. Nam triplici muro circumdatam eam fuisse vterque is scriptor te docebit. Iosephus libro VI. Haloseos cap. VI. Zonaras tomo I.*

*25. VRBS DEIVGIS.] Iure nato, & mecum libri. Farnes. vrbs deingia templum clausum. Vatican. vrbs ob demgia. At Ios. Mercerus legit: Primis munimentis vrbs, dein regia. Feliciter. Tacitus ipse inuat, infra: Alia intus mœnia regiae circumiecta.*

*26. TEMPLVM INTIMIS.] Quomodo, intimis? Ablego eam vocem cum nonnullis libris, & lego: trinis munimentis \* vrbs, ob deingia. Templum clausum. ad fores tantum Iudæo aditus. Aut si retineri placet: scribam appositè, Templum intimum, siue magis, interius. Duplex enim templum, Exterius & Interius, vt Zonaras & Iosephus describunt appellantiq̄: & Exterius patet, sola interior Domus clausa. Rodolphus hæc omnia concinnat (sed ab Iogennio, opinor.) & primis munimentis vrbs. alienigenis templum interius clausum.*

Reges iis,  
vna & sa-  
cerdotes.

Cap. 9.  
Pompeius  
vincit  
\* Alias, nul-  
las i. d. effi-  
gies.  
Parthi ve-  
xant.

Varij apud  
eos reges,  
&  
turba.

Felix præcu-  
rator Iudæa.

Cap. 10.  
Florus, sub  
quo bellum.

Vespasianus  
eò missus.

Titus ibi  
relictus.

Cap. 11.  
Fugatur ad  
Hierosoly-  
ma.  
Eademq; op-  
pugnantur.

Frustrâ,  
quia permu-  
nita.

Turris An-  
tonia.  
Cap. 12.

nixus, quo minùs tètèrrimam gentem in melius mutàret, Parthorum bello prohibitus A est. nam eâ tempestate, Arsaces desciverat. Tum Iudæi, Macedonibus inualidis, Parthis nondum adultis (& Romani procul aberant) sibi ipsi reges imposuere, qui mobilitate vulgi expulsi, resumtâ per arma dominatione; fugas civium, urbium euerfiones, fratrum, coniugum, parentum neces, aliaque solita regibus ausi, superstitionem fouebant: quia honor sacerdotij, firmamentum potentia; assumebatur. Romanorum primus Gn. Pompeius, domuit: templumque iure victoria; ingressus est. Inde vulgatum, \* nulla intus deum effigie vacuam sedem, & inania arcana. Muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit. <sup>27</sup> Mox bello civili interno, postquam in ditionem M. Antonij provinciæ cesserant; rex Parthorum Pacorus Iudæâ potitus, interfectusque à P. Ventidio, & Parthi trans Euphratem redacti. Iudæos <sup>28</sup> C. Sossius subegit. Regnum ab Antonio Herodi datum, <sup>29</sup> victor Augustus sanxit. Post mortem Herodis, nihil expectato Cæsare, Simon quidam regium nomen inuaserat. Is à Quintilio Vario obtinente Syriam punitus. & gentem coercitam, liberi Herodis tripartitò rexere. Sub Tiberio B quies. dein, iussi à C. Cæsare effigiem eius in templo locare, arma potius sumere. quem motum Cæsaris mors diremit. Claudius defunctis regibus, aut ad modicum redactis, Iudæam provinciam equitibus Romanis aut libertis permisit. è quibus Antonius Felix, per omnem sæuitiam ac libidinem, ius regium seuili ingenio exercuit, Drusillâ Cleopatraz & Antonij nepte in matrimonium acceptâ. vt eiusdem Antonij, Felix progener, Claudius nepos esset. Durauit tamen patientia Iudæis, vsque ad Gessium Florum procuratorem. Sub eò bellum ortum. & comprimere ceptantem <sup>30</sup> Cestium Gallum Syriæ legatum, varia prælia ac sæpius aduersa excepere. Qui vbi fato, aut tædio occidit: missu Neronis, Vespasianus fortunâ fama; & egregijs ministris, intra duas ætates, cuncta camporum, omnesque præter Hierosolyma vrbes, victore exercitu tenebat. Proximus annus civili bello intentus, quantum ad Iudæos per otium transiit. pace per Italiam partâ, & externæ curæ rediere. Augebat iras, quòd soli Iudæi non cessissent. Simul manere apud exercitus Titum, ad omnes principatus noui euentus casusve vtile videbatur. Igitur castris, vt diximus, antè mœnia Hierosolymorum positis, instructas legiones ostentauit, Iudæi sub ipsos muros struxere aciem, rebus secundis longius ausuri; & si pellerentur, parato perfugio. Missus in eos eques cum expeditis cohortibus, ambigùe certauit. Mox cessere hostes, & sequentibus diebus crebra pro portis prælia ferebant: donec assiduis damnis, intra mœnia pellerentur. Romani ad oppugnandum versi. neque enim dignum videbatur, famem hostium opperiri. poscebantque pericula, pars virtute, multi ferocia, & cupidine præmiorum. Ipsi Tito Roma, & opes, voluptatesque ante oculos; ac ni statim Hierosolyma conciderent, morari videbantur. Sed vrbe arduam situ, opera molesque firmauerant, quis vel plana satis munirentur. Nam duos colles immensum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati: vt latera oppugnantium, ad ictus patescerent. Extrema rupis, abrupta. & turres, vbi mons iuuisset, in sexaginta pedes; inter deuexa, in centenos vicenosque attollebantur. mirâ specie, ac procul intuentibus pares. Alia intus mœnia, regia circumiecta. conspicuoque fastigio turris, Antonia in honorem M. Antonij ab Herode appellata. Templum D

27. MOX BELLO CIVILI INTERNO.] Cur hæc geminat Civile & Internum? placet imò Romana scriptio, bello civili inter nos.

28. C. SOSIVS.] Siue Sossius. Malè quidam libri, Sestius.

29. VICTOR AVGVSTVS SANXIT.] Prisci aliquot libri, auxit.

30. CESTIVM GALLVM.] Idem Suetonio narratur Vespas. cap. IV. Iudæi rebellant, cæsoque præposito, legatum insuper Syriæ consularem, suppetias ferentem, raptâ aquilâ fugarunt. In Iosepho hæc ipsa, & planè omnia vide. Sed quis tamen Præ-

positus ille cæsus? ita enim Suetonius, nec rem tam notabilem vel Iosephus, vel Tacitus dixere. Imò ille planè contrâ: Florum, qui tunc præpositus, euasisset, & bellum iis fecisset. An cæsoque præsidio? ita enim Eutropius, qui sua solet ex Tranquillo describere: Exstinctis Romanis præsidiis, legatum quoque Syriæ suppetias ferentem, raptâ aquilâ fugarunt. Sunt ipsa, vt vides, Tranquilli. An verius, Gessiumque præpositum? vt hoc dicat, Gessium Florum (id ei nomen) fugatum, ac tum etiam Cestium Gallum? Interpretes nihil hîc pro re dicunt. tu serie historiarum Lector arbitrare.

A plum in modum arcis, propriique muri, labore & opere ante alios. ipsa porticus, quae templum ambiebatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquae, cauati sub terrâ montes: & piscinae cisternaeque seruandis imbribus. praueiderant conditores, ex diuersitate morum, crebra bella. inde cuncta, quamuis aduersus longum obsidium: & à Pompeio expugnatis, metus atque usus pleraque monstrauere. Atque per auariciam Claudianorum temporum, emto iure muniendi, struxere muros in pace, tamquam ad bellum: magnâ colluie, & <sup>31</sup> ceterarum urbium clade aucti. Nam peruicacissimus quisque illuc perfugerat; eoque seditiosius agebant. Tres duces, toridem exercitus. Extrema & latissima moenium, Simon: mediam urbem, Ioannes, quem & Bargioram vocabant: templum, Eleazarus firmauerat. Multitudine & armis Ioannes, ac Simon; Eleazarus, loco pollebat. Sed praecelia, dolus, incendia inter ipsos, & magna vis frumenti ambusta. Mox Ioannes, missis per speciem sacrificandi, qui Eleazarum manumque eius obtruncarent, templo potitur. ita in duas factiones ciuitas discessit, donec propinquantibus B Ro. bellum externum concordiam pareret. Eueniant prodigia, quae neque hostiis, neque votis pia fas habet gens, superstitioni obnoxia, religionibus aduersa. Visa per caelum concurrere acies, rutilantia arma, & subito nubium igne collucere templum. Expasae repente delubri fores, & audita maior humana vox, Excedere deos: simul ingens motus excedentium. Quae pauci in metum trahebant: pluribus persuasio inerat, anti- quis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore, ut ualesceret Oriens; profectique Iudaea rerum potirentur. quae ambages Vespasianum ac Titum praedixerant. Sed vulgus, more humanae cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne aduersis quidem ad uera mutabantur. Multitudinem obsessorum omnis aetatis, uirilium ac muliebris sexus, <sup>32</sup> sexcenta millia fuisse accepimus. Arma cunctis, qui ferre possent: & <sup>33</sup> plures, quam pro numero, audebant. Obstinatio uiris feminisque par: ac si transferre sedes cogentur, maior uitae metus quam mortis. Hanc aduersus urbem gentem- que Caesar Titus, quando impetum & subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit. Diuiduntur legionibus munia, & quies praeciorum fuit: donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud ueteres, aut nouis ingeniis, struerentur. At Ciuilis, post malam in Treueris pugnam, reparato per Germaniam exercitu, apud Vetera con- sedit: tutus loco: & ut memoriâ prosperarum illuc rerum, aufererent Barbarorum ani- mi. Secutus est eodem Cerialis, duplicatis copiis, aduentu secundae & XVI. & XIV. legio- num. Cohortesque & alae iam pridem accitae, post uictoriam properauerant. Neuter ducum contator. Sed arcebat latitudo camporum, suoapte ingenio humentium. Addi- derat Ciuilis obliquam in Rhenum molem, cuius obiectu reuolutus amnis, adiacenti- bus superfunderetur. Ea loci forma, incertis vadis subdola, & nobis aduersa. quippe mi- les Romanus armis grauis, & nandi pauidus: Germanos fluminibus fueros, leuitas ar- morum, & proceritas corporum attollit. Igitur lacescentibus Batauis, ferocissimo cuique nostrorum coeptum certamen. deinde orta trepidatio, cum praecaltis paludibus arma equique haurirentur. Germani, notis vadis perfulabant; omisâ plerumque fronte, la- D tera ac terga circumuenientes. neque ut in pedestri acie, cominus certabatur; sed tam- quam nauali pugna, vagi inter undas, aut si quid stabile occurrebat, totis illic corporibus niten-

Templum.

Duces Iu-  
daeorum,  
Simon,  
Ioannes,  
Eleazarus.  
In er se dis-  
cordes.

Cap. 13.

Prodigia an-  
te exitum  
Iudaeorum.Praedictio de  
rege regum  
à Iudaeis.Mira multi-  
tudo obesso-  
rum.Machinis  
ut sinuan-  
ditur.Cap. 14.  
Ciuilis a  
Vetera cum  
copiis.Cerialis item  
illuc.Rhenus in  
campis effu-  
sus.Cap. 15.  
Iugna tu-  
multuaria  
in aquis.

31. CETERARVM VRBIVM CLADE.] Alij ex-  
terarum.

32. SEXCENTA MILLIA FUISSE ACCEPIMVS.]  
Numerus mihi non certus, & quem ex Budensi  
cod. & Orofio substitutum uideo parum caute. Nam  
ille scribit, sexcenta millia Iudaeorum interfecta  
Cornelius & Suetonius referunt. Sed interfecta  
ait: cum noster hic uniuersè, de obsessis, qui certè pau-  
lo plures. Libri etiam instabiles, & quidam, ducenta  
millia. Fortasse, dena, aut, undena millia. quod  
paulo propius ad Iosephum & Zonaram & Iornan-  
dem accedat, qui omnes undecies centena millia

perisse obsidione illâ clarè tradunt. perisse, inquam,  
fame, morbo, ferro. Nam Sulpicio Senero fidem uix  
habeo, qui numerum peremptorum ad undecies  
centena millia profert, capta uerò centum millia  
ac uendata. Sed peremptos fortasse largius acce-  
pit, & nostro illo sensu.

33. PLURES, QVAM PRO NUMERO.] Id ua-  
let. fuere obsessi sexcenta millia: credas quartam  
aut circiter partem (pro communi ratiocinatione) ar-  
ma uulisse: at hic aliter fuit, & plures impetu atque  
ardore ceperunt. Qui? infra aut supra legitimam ata-  
tem, pueri senesq.

nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris, in mutuam perniciem implicabantur. minor tamen quam pro tumultu cædes: quia non ausi egredi paludem Germani, in castra rediére. Eius prælij euentus, vtrumque ducem, diuersis animi motibus, ad maturandum summæ rei discrimen erexit. Ciuilis, instare fortunæ; Cerialis, abolere ignominia n. Germani, prosperis feroces, Romanos, pudor excitauerat. nox apud Barbaros cantu aut clamore, nostris per iram & minas acta. Postera luce, Cerialis equite & auxiliariis cohortibus frontem explet: in secundâ acie, legiones locatæ: dux sibi dilectos retinuerat, ad improuisa. Ciuilis haut porrecto agmine, sed cuneis astitit. Bataui Cugernique in dextro; læua ac propiora fluminis, Transhenani tenuère. Exhortatio ducum; non more concionis apud vniuersos, sed vt quosque eorum aduehebantur. Cerialis veterem Rom. nominis gloriam, antiquas recentesque victorias: vt perfidum, ignauum, victum hostem, in æternum excinderent. vltione magis, quam prælio opus esse. Pauciores nuper cum pluribus certasse: attamen fusos Germanos, quod roboris fuerit. Superesse, qui fugam animis, qui vulnera tergo, ferant. Proprios inde stimulos legionibus admouebat, domitores Britannæ quartadecimanos appellans. principem Galbam, sextæ legionis auctoritate factum: illâ primùm acie, Secundanos noua signa, nouamque aquilam dicaturos. Hinc præuectus ad Germanicum exercitum, manus tendebat, vt suam ripam, sua castra sanguine hostium reciperarent. Alacrior omnium clamor, quâs vel è longâ pace prælij cupido, vel fessis bello pacis amor, præmiaque & quies in posterum sperabantur. Nec Ciuilis \* silentem struxit aciem, locum pugnæ testem virtutis ciens: *Stare Germanos Batauosque super vestigia gloriæ, cineres ossaque legionum calcantes. quocumque oculos Romanus intenderet, captiuitatem, clademque & dira omnia obuersari. Ne terrentur vario Treuerici prælij euentu: 34 suam illic victoriam Germanis obstitisse, dum omissis telis, prædâ manus impediunt. sed cuncta mox prospera & hosti contraria euenisse. Quæ prouideri astu ducis oportuerit, prouidisse: campos madentes & ipsis gnaros, paludes hostibus noxias: Rhenum & Germaniæ deos in aspectu, quorum numine capefferent pugnam, coniugum, parentum, patriæ memores. illum diem aut gloriosissimum inter maiores, aut ignominiosum apud posteros fore.* Vbi sono armorum tripudiiisque (ita illis mos) approbata sunt dicta, saxis, grandibusque & ceteris missilibus prælium incipitur: neque nostro milite paludem ingrediente, & Germanis vt elicerent laceffentibus. Absumtis quæ iaciuntur, & ardescente pugna, procursum ab hoste infestius, immensis corporibus, & prælongis hastis 35 fluitantem labantemque militem eminus fodiebant. simul è mole, quam eductam in Rhenum rettulimus, Bructerorum cuneus transnatauit. turbata ibi res: & pellebatur sociatum cohortium acies, cum legiones pugnam excipiunt, suppressaque hostium ferociâ, prælium exæquatur. Inter quæ, perfuga Batauis adiit Cerialem, terga hostium promittens, si extremo paludis eques mitteretur: solidum illâ, & Cugernos quibus custodia obuicisset, parum intentos. Dux alæ cum perfugâ missæ, incauto hosti circumfunduntur. quod vbi clamore cognitum; legiones à fronte incubuère, pulsique Germani Rhenum fugâ petebant. Debellatum eo die foret, si Romana classis sequi maturasset. Ne eques quidem institit, repente fusis imbribus, & propinquâ nocte. Postera die, decimaquarta legio in superiorem prouinciam Gallo Anno missa. Cerialis exercitum, decima ex Hispaniâ legio suppleuit. Ciuili Chaucorum auxilia venère. non tamen ausus 36 opidum Batauorum armis tueri, raptis quæ ferri poterant, ceteris iniecto igni insulam concessit. gnarus deesse naues efficiendo ponti, neque exercitum Ro. aliter transmissurum. quin & diruit molem

Quæ Ciuili pro meliore suis.

Cap. 16. iterum pugna, sed ordinata.

Cerialis suos variè hortatur.

Cap. 17. \* silens, aut silenter Ciuilis item suos.

Commissa acies.

Cap. 18.

Turbatisq; insitio Romani. Mox perfuga suggestione adiuit.

Hostes fugiunt.

Cap. 19.

Ciuilis in Batauiam se condit.

34. SVAM ILLIC VICTORIAM.] Vatic. suam illic materiam. quæ lectio inuoluit aliud verbi, quod nondum educo. certè de auaritia aut cupidine, id dici verius, quam de victoriâ. Neque enim ea, sed quòd eâ per securitatem & insolentiam abusi, cladem dedit.

35. FLUITANTEM LABANTEMQUE.] Interpunxi & voce additâ expleui locum, sive Vaticani.

36. OPIDVM BATAVORVM.] Quod opi-

dum? nominare enim certè debuit. An Batauodurum scribendum? an cum Rom. codice legimus, opida Batauorum? Et intellegam tunc ea opida, quæ extra insulam. Nam Batauorum veterum sedes, non dubiè supra & extra etiam insulam, in orâ Gallicâ. Tacitus clarè, supra: Extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupare.



Alem à Druso Germanico factam, Rhenumque prono alueo in Galliam ruentem, disie-  
ctis quæ morabantur, effudit. Sic velut abactò amne, tenuis alueus, insulam inter, Ger-  
manosque, continentium terrarum speciem fecerat. Transiere Rhenum Tutor quoque  
& Classicus, & centum tredecim Treuerorum senatores: in quibus fuit Alpinus Mon-  
tanus, quem à Primo Antonio missum in Gallias superius memorauimus. Comitabatur  
eum frater D. Alpinus. Simul ceteri miseratione ac donis auxilia concibant, inter gentes  
periculorum auidas. Tantumque belli superfuit, vt præsidia cohortium, alarum, legio-  
num, modicis vicis quadripartita Ciuilis inuaserit: Decimam legionem, Arenaci, secun-  
dam, Batauoduri; & Grinnes Vadamque cohortium alarumque castra: ita diuisis co-  
piis, vt ipse & Verax sorore eius genitus, Classicusque ac Tutor suam quisque manum  
traherent: nec omnia patranda fiducia, sed multa ausis aliquâ in parte fortunam affore.  
Simul Cerialem, neque satis cautum, & pluribus nuntiis huc illuc cursantem, posse me-  
dio intercipi. Quibus obuenerant castra decumanorum, oppugnationem legionis ar-  
duam rati, egressum militem & cædendis materiis operatum turbauere, occiso præfe-  
cto castrorum & quinque primoribus centurionum, paucisque militibus. Ceteri se mu-  
nimentis defendere. Et interim Germanorum manus, Batauoduri, irrumperere inchoa-  
tum pontem nitebantur. Ambiguum prælium nox diremit. Plus discriminis apud  
Grinnes Vadamque. Vadam Ciuilis, Grinnes Classicus, oppugnabant. nec fisti pote-  
rant, interfecto fortissimo quoque: in quibus Briganticus præfectus alæ ceciderat, quem  
fidum Romanis, & Ciuili auunculo infensum diximus. Sed vbi Cerialis cum dilectâ  
equitum manu subuenit, versa fortuna. præcipites Germani in amnem aguntur. Ciuilis  
dum fugientes retentat agnitus, petitusque telis, relicto equo, transnatauit. Idem Ger-  
manis effugium. Tutorem Classicumque appulsæ lintres vexere. Ne tum quidem Ro-  
mana classis pugna affuit, vt iussum erat. Sed obstitit formido, & remiges per alia mili-  
tiæ munia dispersi. Sanè Cerialis parum temporis ad exsequenda imperia dabat: sub-  
itus consiliis, sed euentu clarus. Aderat fortuna, etiam vbi artes defuissent. hinc ipsi exer-  
citique, minor cura disciplinæ. Et paucos post dies quamquam periculum captiuitatis  
euasisset, infamiam non vitauit. Profectus Nouesium Bonnamque ad visenda castra,  
quæ hiematuris legionibus erigebantur, nauibus remeabat, disiecto agmine, incuriosis  
vigiliis. Animaduersum id Germanis, & insidias composuere: electa nox atra nubibus,  
& prono amne rapti, nullo prohibente vallum incunt. Prima cædes astu adiuta: incisis  
tabernaculorum funibus, suismet coriis coopertos trucidabant. Aliud agmen, turbare  
classem, iniicere vincla, trahere puppes. Vtque ad fallendum silentio, ita cæptâ cæde, &  
quò plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant. Romani vulneribus exciti,  
quærent arma, ruunt per vias, pauci ornati militariter, plerique circum brachia tortâ ve-  
ste, & strictis mucronibus. dux semisomnis ac propè intectus, errore hostium seruatur.  
Namque prætoriam nauem, vexillo insignem, illuc ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi  
noctem egerat, vt plerique credidere, ob stuprum Claudie Sacratæ, mulieris Vbiæ. vi-  
giles flagitium suum ducis dedecore excusabant, tamquam iussi silere: ne quietem eius  
turbarent. ita intermisso signo, & vocibus, se quoque in somnum lapsos. Multâ luce  
D reuecti hostes, captiuis nauibus, prætoriam triremem, flumine Luppia, donum Velledæ  
traxere. Ciuilem cupido incessit, naualem aciem ostentandi. Complet quot biremium,  
quæque simplici ordine agebantur. <sup>37</sup> Adiecta ingens lintrium vis. tricenis quadragenif-  
que armamenta liburnicis solita: & simul captæ lintres, sagulis versicoloribus, haud inde-  
core pro velis iuuabantur. Spatium velut æquoris \* captum, vbi <sup>38</sup> Mosæ fluminis am-  
nem

Molem Druso  
si diruit.

Primores  
Gallarum  
trans Rhe-  
num fru-  
giunt.

Cap. 20.  
Ciuis di-  
uersa præsi-  
dia inuadit:

Castra decu-  
manorum:

Batauodu-  
rum:

Cap. 21.  
Grinnes &  
Vadam.

Sed vbi que  
sepulchrum.

Cerialis pa-  
rum prouidit.

Cap. 22.  
Itaque pan-  
is interce-  
ptus.

\* Vat. ten-  
toria

Nauibus ho-  
stes portis.

Cap. 23.  
Nauale cer-  
tamen tenta-  
tum.

\* Vat. ele-  
ctum,

37. ADIECTA INGENS LINTRIUM VIS.] Locum  
vitiatum & mutilum correxi & auxi è Vatic. qui  
sic: Armamenta liburnicis solite & simul capte  
lintres sagulis versicoloribus haut indecore pro  
telis iuuabantur. Hegeßippi verba commodè adtexam  
& corrigam lib. II. de Rheno: Itaque iam non copiis  
Germanorum repletur, sed Romanorum Libur-

nis. Vetus lectio, copolis Germanorum. qua recta  
est, sine caupulis: & cape exiguas illas lintres. Quam  
vocem Agellio etiam restituimus in Electis, cap. VII.  
At hic insignis locus tunc me fugit.

38. MOSÆ FLUMINIS.] Probè. nec improbè in  
libris quibusdam, Mosæ fluminis os amnem Rhe-  
num. Res quidem ipsa eadem, aliter elata.

nem Rhenuſ Oceano affundit. Cauſſa inſtruedæ claſſis, ſuper inſitam genti vanitatem, A  
 vt eo terrore com meatuſ Galliã aduentanteſ interciperent. Cerialiſ <sup>39</sup> miraculo magis,  
 quã metu, direxit claſſem: numero imparẽ, uſu remigum, gubernatorum arte, na-  
 uium magnitudine potiorem. Iſ flumine ſecundo, illi vento agebantur. Sic præuecti, ten-  
 tato telorum iactu, dirimuntur. Ciuilis nihil ultra auſuſ, tranſ Rhenum conceſſit. Cerialiſ  
 inſulam Batauorum hoſtiliter populatuſ, agroſ villaſque Ciuilis intactoſ, notã arte  
 ducum ſinebat: cum interim flexu autumnũ, & crebris pluuiãlibuſ imbribuſ ſuperfu-  
 ſuſ annuſ, paluſtreſ humileſque inſulam in faciem ſtagni oppleuit. nec claſſiſ, aut  
 com meatuſ aderant: caſtraque in plano ſita, vi fluminis differebantur. Potuiſſe tunc  
 opprimi legioneſ & uoluiſſe Germanoſ, ſed dolo à ſe flexoſ, imputauit Ciuilis. Neque  
 abhorret uero, quando paucis poſt diebuſ deditio inſecuta eſt. Nam Cerialiſ, per occul-  
 toſ nuntioſ, Batauſ pacem, Ciuili ueniam oſtentanſ, Velledam propinquoſque mone-  
 bat, fortunam belli tot cladibuſ aduerſam, opportuno erga populuſ Rom. merito  
 mutare. Caſoſ Treueroſ, receptoſ Urbioſ, ereptam Batauſ patriam: neque aliud Ciuilis amicitia  
 peractum, quã uulnera, fugãſ, luctuſ. exſulem eum & extorrem, recipientibuſ oneri: & ſatiſ B  
 peccauiſſe, quod totieſ Rhenum tranſcenderint. ſi quid ultra moliantur, inde iniuriã & cul-  
 pam, hinc ultionem & deoſ fore. Miſcebantur minis promiſſa. Et concuſſã Tranſſanen-  
 norum fide, inter Batauoſ quoque ſermoſeſ orti, Non prorogandã ultra ruinã: nec poſſe  
 ab unã natione totiuſ orbis ſeruitium depelli. quid perfectum cade & incendiſ legionum, niſi ut  
 plureſ ualidioſeſque accirentur? Si Veſpaſiano bellum nauauerint, Veſpaſianum rerum potiri.  
 ſin pop. Rom. armis prouocent; quotaſ partem generiſ humani Batauoſ eſſe? reſpicerent Rhetos  
 Noricoſque, & ceterorum onera ſociorum: ſibi non tributa, ſed <sup>40</sup> uirtuteſ & uiroſ indici. pro-  
 ximum id libertati: & ſi dominorum electio ſit; honeſtiuſ Principeſ Romanorum, quã Germa-  
 norum ſeminaſ tolerari. Hæc uulgus. Proceres, atrociore Ciuilis rabie ſemet in arma truſoſ, il-  
 lum domeſticis malis, excidium gentiſ oppoſuiſſe. tunc inſenſoſ Batauſ deoſ, cum obſiderentur le-  
 gioneſ, interficerentur legati, bellum uni neceſſarium, ferale iſiſ ſumeretur. Ventum ad extrema,  
 ni reſipiſcere incipiant & noxiſ capitiſ pœnã pœnitentiã fateantur. Non feſellit Ciuilem ea  
 inclinatio, & præuenire ſtatuit. ſuper tædium malorum, etiam ſpe uitæ, quæ plerumque C  
 magnos animoſ infringit. Petito colloquio, ſcinditur <sup>41</sup> Nabaliæ fluminis poſ. In cuiuſ  
 abrupta progreſſi duceſ, & Ciuilis ita cœpit: Si apud Vitelliſ legatum defenderer: neque ſacto  
 meo uenia, neque dictiſ fideſ debebatur. Cuncta inter noſ inimica, hoſtilia, ab illo cœpta, à me auctã  
 erant. Erga Veſpaſianum, uetus mihi obſeruantia: <sup>42</sup> & cum priuatuſ eſſet, amici uocabamur.  
 Hoc Primo Antonio notum, cuiuſ epistoſiſ ad bellum accituſ ſum, ne Germanicæ legioneſ & Gal-  
 lica iuuentuſ alpeſ tranſcenderet. Quæ Antonioſ abſenſ, Flaccuſ præſenſ mouebat, arma in Ger-  
 mania moui, quæ Mucianuſ in Syria, Aponiuſ in Mœſia, \* Fabianuſ in Pannonia. \*

Cerialiſ Ba-  
 tauiam in-  
 trat.

In quã peri-  
 clitatur ab  
 aquis.

Cap. 24.

Ad pacem  
 Batauſ in-  
 uitat.

Cap. 25.  
 Atque hinc  
 clinant.

Ciuilem ac-  
 cuſant.

Cap. 26.

Ille ad col-  
 loquium Ce-  
 rialiſ uenit.

\* Lego, Fla-  
 uianuſ

39. MIRACULO MAGIS, QUAM METU.] Ma-  
 giſ, quia mirabatur Ciuilem hoc audere, quã quod  
 timeret. Nam reuera Romanis hinc peritiſſimis nihil  
 periculi: & nondum Batauſ in mari aut aquis, qualeſ  
 nunc miramur.

40. VIRTUTES ET VIROS.] Rhenanum audiebam  
 corrigentem, iuuentutem & uiroſ: nunc magiſ cum  
 Florentino legam, uirtutem: id eſt bellicum ab iſ ro-  
 bur exigi, non pecuniã aut opes.

41. NABALIÆ FLUMINIS.] Nuſquam id flumi-  
 niſ in hoc tractu. An opiduſ eo nomine? Quod Iunio  
 Hadriano uidetur, legitur, Naualiæ. & urbem Cam-

poſ ita indigitat ad ſinum hodie Australem, Ptolemæo  
 parum firmiter innixuſ. Ego ambigo ne Vahaliſ cor-  
 rigendum ſit. Pontem quidem aliquem cœptum à Ro-  
 maniſ paullo ſuprà legãſ, ſed Batauoduri: de quo hæc  
 non uanè intellegãſ, niſi quod Batauodurum ad Rhe-  
 num fuiſſe uolunt, quos arguat hic locuſ.

42. ET CUM PRIVATUS ESSET.] De hoc loco D  
 ſenſit Sidoniuſ in Epistoſiſ: Caiuſ Tacituſ eſt maio-  
 ribuſ uniuſ tuiſ, ſub uerbiſ cuiuſdam Germanici  
 duciſ in hitoriã ſua retulit: Cum Veſpaſiano  
 mihi uetus amicitia, & dum priuatuſ eſſet, amici  
 uocabamur.